

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0875

0873

0879

0869

0884

0864

0924

0824

0974

0774

0374

Ende

Anfang

302

eorum adventum descenderunt nostri in terram et invitis pa-  
ganis a parte maris obsederunt urbem. De die autem in diem  
augmentabatur exercitus Dei viventis, ita ut Soldanus, qui ex  
alia parte tentoria fixerat, fugeret cum suis et nostri transito  
fluvio totam civitatem circumdarent et vehementer arctarent  
et inter littus maris et fluvium Nili tentoria figerent. Hoc  
autem mirabile fecit Dominus, quod in ipso adventu aqua  
fluminis convicta mari dulcis hauriebatur, nec ascendit aqua  
multum, sicut consueverat, quasi populo Dei siccus locus con-  
servaretur, sed post excrescentes aquas castra fidelium occu-  
parunt, et cum hoc pestis grassabatur in nostro exercitu.

Dum igitur Christiani sic perseverarent in obsidione  
Damiatae, Corradirius magni Soldani filius congregato  
suorum exercitu in Syriam venit ad Jerusalem eamque  
civitatem sanctam funditus intus forisque destruxit praeter  
templum dominicum et turrim David. Et hoc ideo fecit, ne  
Christiani post captionem Damiatae aliquam munitionem me-  
diterraneam haberent et tenerent in regno Jerosolymitanos  
desperabant enim, capta Damiata regnum Jerosolymitanum  
posse defendi. Porro in destructione Jerusalem deliberabant  
pagani, an vellent ecclesiam dominici sepulchri etiam destrue-  
re, sed nemo ausus fuit manus apponere, commoti sunt tamen  
per literas, quas miserunt in exercitum nostrorum apud Da-  
miatam, quod nisi obsidionem citius solverent, ecclesiam re-  
surrectionis funditus destruere vellent. Deinde destructa  
Jerosolyma quaedam Christianorum castra occupavit, cepit et  
destruxit, quae nuper fuerant aedificata. Interea civitate (285  
A) Damiata longa obsidione ferro, fame et pestilentia afflita,  
contra Soldanum et majores, qui civitati praeerant, vulgus  
murmurabat dicentes, se incommoda obsidionis tolerare non  
posse, quos Soldanus specificans eos a deditione retrahebat,  
mandavitque suis, qui intus erant, intrinsecus portas obstrui-  
ne cives, qui fame et peste laborabant, ad Christianos tran-  
sirent et civitatis miseras nuntiarent. Et non solum intus  
fame laborabant, verum etiam in Sarracenorum castris, quae  
non longe a nostris distabant, famis acerbitas invaluerat;  
Nilus enim fluvius, qui post festum Johannis Baptiste solet  
inundare usque ad exaltationem sanctae crucis et Aegypti

